

O. S. B. c. 261. *Burbach*, conf. cap. 267. & 271. Fabricio in *Orig. Saxon. lib. 2.* contra veterum & recentiorum fidem *Beverburg* dicitur. Denique Spangenbergius in *vita Bonifacii Boyneburg* gravissimo sane errore nominat. Oppidum hoc erat pro ratione ejus aevi satis munitum, variisque operibus firmatum, ita ut Saxones, quamvis magno conamine illud frustra oppugnarent, cum anno 774. Hassiam nostram ulciscendarum injuriarum gratia invadebant. Ab eo tempore hoc oppidum nomen suum mutasse, & *Gehülffenburg* dictum fuisse narrat Albinus in *Chronico suo Misnensi*. Sed errat, siquidem illam nominis mutationem non solum omnes alii & veteres & recentiores Scriptores ignorant, verum potius hic locus nomen suum antiquum in hunc usque diem retinet. Forte Albinus alium montem in Westphalia *Osneggi* dictum cum nostro confundit, qui vulgo *der Gehülffenberg* vocatur, de quo *Stangefol. in Annal. suis Westphal. lib. 11.* ut & *Cranzius in Saxon. lib. 11. c. 4.*

§. IX.

Dicitur autem hic locus in antiquis monumentis modo *castrum*, modo *oppidum*, quod pro ratione ejus aetatis non ignobile fuisse sedes Episcopalis ibi condita satis abunde probat; non enim licebat in villulis aut oppidis minoribus Episcopatus instituire, ne nomen Episcopi vilesceret. Discimus id ex Epistola Zachariae Papae ad Bonifacium apud *Othlonum lib. 11. c. 2.* cum scribit: *Meminisse debes, carissime, quod sacris Canonibus praecipiamur observare, ut minime vel in villulas, vel modicas civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi.* Respicit forte hic Papa ad Concilium Sardicense, in cujus Canone VI. id sancitum legitur, quod postea Francorum Reges sua auctoritate confirmarunt, & passim in Capitularia sua receperunt. Videantur *Capitul. rom. 1. p. 220. & 267. edit. Baluz.*

§. X. Ex-